



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm III. Romana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](#)

sed qui melius eam nosse putabantur, ut id
cui in tit. c. 3.

- 4 Not. IV. Una positio quandoq; conti-
net in se plures articulos seu partes, & tunc
singulatim ad eas respondere oportet, cum
fieri possit, ut unus articulus seu membrum
verum sit, alterum autem falsum, sicuti hic.
Menochius notauit n. 18.
- 8 Not. V. Tametsi alioqui adversarius &
interdum judex positiones reicere possit,
tanquam ineptas aut impertinentes, excipi-
tamen debet, nisi judex eas approbarit, tum
adversarius ad eas respondere compellitur,
sed & judex inferior aut delegatus positio-
nes immutatas retinere debet, si ipsi a dele-
gante aut superiore judice transmissae sunt,
uti in hoc cap. appareret, & monet gl. verb.
Transmissis.
- 9 Not. VI. Pars quæ ad articulos proba-
toriales respondere cogitur interrogatoria-
formare potest, super quæ testes producti
examinentur super articulis quos adversa-
rius posuit. Veruntamen huic interrogato-
ria communicari non debent, cum alioqui
testes subornare posset.
- 10 Not. VII. Praesumptio esse potest, quod
is, qui testes reprobatorios denuo reproba-
re seu testes reprobatoriorum reprobato-
rios producere vult, id agat malitiosè, ideò
que facilis ei juramentum de malitia defer-
etur. pendet tamen hec res ex judicis arbitrio.
secundum gl. hic. verb. *Juramentum.*

CAPITVLVM III.

Romanæ.

P A R A P H R A S I S .

Titius Procurator vel Advocatus Caij fue-
rat in causâ quadam, sed cum contra Ca-
ium lata esset sententia, is appellauit, &
coram judice appellationis positiones
suas probare iam vult per Titium, qui
in priore instantiâ causæ fuerat Procu-
rator; queritur, an admitti possit. Re-
spondei Pontifex, admittendum non esse,

Porro non semper appellanti, si præsum-
ptionem pro se habeat, juramentum de-
ferri debet à judice in probationis sup-
plementum, sed id arbitrio judicis com-
mittitur consideratis causæ & persona-
rum circumstantiis.

S V M M A R I V M .

1. *Advocatus vel Procurator in prima instan-
tia non potest in causa appellationis esse testis.*
2. *Idem est de Syndico, & Actore.*
3. *Judex prudenter arbitretur, an parti semi-
probanti juramentum deferendum sit in sup-
plementum probationis, an vero alteri parti
in suipurgationem.*

Not. I. Qui fuit Advocatus vel Procura-
tor in prima instantia, ne quidem depo-
sito munere testis esse potest in causâ appelle-
tionis; quâ de re dixi in c. *Cum à nobis.* 28.
extra hoc tit. Intelligi autem id debet, si testis
producatur ab eo, pro quo postulauit, sin
autem ab adversario recipiendus est, ita ut
pro vtrâq; parte testimonium proferre pos-
sit, sicuti gl. hic notauit, verb. *Intestem.* Jo. Mo-
nachus n. 2. & 3. Ioan. Andr. n. 1. & 2. Nam
ideò Procurator vel Advocatus repellitur,
quia censetur esse affectus ad causam, quam
procurauit, quæ ratio cessat, si producatur
ab adversario causæ, quam Procurator de-
fendendam suscepit.

Porro quæ dicta sunt de Procuratore, in-
telligi etiam debent de Syndico & Actore,
cum eadem sit ratio eos repellendi; quia
sunt affecti ad causam, quam egerunt, quan-
doquidem cōmodum inde aut saltem ho-
norem vel gratiam consequentur, si causa
obtineatur.

Not. II. Nulla certa regula tradi potest,
num judex parti non nisi semiplene proban-
ti juramentum deferre debeat in supple-
mentum probationis, an vero alteri parti in sui
purgationem, sed judex consideratis causæ
& personarum circumstantiis id prudenter
arbitrari debet, ut dixi lib. 4. Th. mor. Tract.
3. cap. 5. n. 3. & dicetur in c. ult. de jure in rando.

TITV.